fforma professionis

Forma professionis hec est Ego frater N. promitto stabilitatem et conversionem morum meorum et obedientiam ~~coram deo et sanctis~~ secundum regulam sancti Benedicti, coram deo et sanctis eius, in hoc monasterio quod constructum est ad honorem s. N. In presentia domini N. abbatis

In qua professione tria substantialia monastice professionis tanguntur scilicet stabilitas morum conversio et obedientia

Ex expositione Bernardi Cassinensis

Nota hic non totam substantiam et formam monastice professionis, non ut quidam existimant, ignorantes quod dimittere monachus regulam professam, sed ista tria secundum regulam scilicet Stabilitatem, Conversionem morum, et obedientiam,

Per stabilitatem astringitur quod numquam non deserat monasterium nec sine mandato et superioris auctoritate exeat monasterium

Per conversionem morum obligatur ut non secularis vivat, sed mores et conversationem a secularibus distinctos et diversos habeat

Per obedientiam astringitur ut non suo

sensu, non sua voluntate vivat, nec quo
vult vadat, nec quod vult faciat sed alieno
imperio et alterius voluntati subditus existat
Stabilitas adversatur levitati
morum conversio opponitur secularium consuetudini
Obedientia contradicit proprie voluntati et singularitati
Per morum conversionem distinguitur monachus a
secularibus
Obedientia ab heremitis
Stabilitate a girovagis

Q. Johannis de Turrecremata glossa

Nullus debet calumniari hanc professionem formam
tamquam minus completam eo quod expresse in ea non
fiat mentio de observanda castitate et de
proprio non habendo, quia eo ipso quod quis assu-
mit habitum monachalem et obedientiam ac
morum conversionem promittit, castitatem servare
et renunciare proprio intelligitur cum ista sint
de substantia monastice vite, ut extra
de statu monachorum Innocentius papa
Cum ad Monasterium Sublacense pro
libere venissemus sit quod Nec estimet abbas
quod super habenda proprietate possit cum

aliquo monacho dispensare, quia abdicatio pro-
prietatis sicut et custodia castitatis, adeo est
annexa regule monachali ut contra eam
nec summus pontifex possit licentiam indulgere

Sed aliqui dicunt sancti Benedicti observantiam
paupertatis et abdicationem proprietatis non po-
sunt expresse et nominatim in forma
monastice professionis sicut alii religiosi
qui profitentur expresse paupertatem obedientiam
et castitatem, Et certe qui bene considerat
verba professionis eorum satis clare videt quod
in ea continentur, Conversio videlicet morum
sub qua includitur observantia castitatis et abdicationis
proprietatis, licet ad morum suorum conversionem si pro
abdicationem proprietatis et custodiam castitatis
moribus secularibus contrarium non esset
Cum et permittit quod plus est videlicet ut sit
abdicatio proprie voluntatis, quis dubitat non esse
comprehensum et inclusum quod minus est videlicet
abdicationem proprietatis rei temporalis, Nam qui se
non possidet sicut in regula beati Benedicti habetur
quomodo temporalia possidere valeat, Docet enim
abdicationem proprietatis comprehensionem in professione

voto,
Jtem advertendum est quod monachus tribus modis
se obligat, ore verbo, 2° scripto, 3° quodammodo
juramento, Primo obligat se ore verbo
in emissione voti, 2° in ~~emissione voti~~ confirmatione
vel signatione scripti, 3° in positione ipsius
scripture super altare, in quo videtur solem
nizari votum emissum, in qua et est
vel ostensio juramenti, vel confirmatio voti
Jtem dicit monachus hunc versum Suscipe me
domine secundum eloquium tuum et vivam et non
confundas me ab expectatione mea,
Et paulus diaconus quod illud eloquium de quo
fit mentionem nominis in hoc versiculo est
quod dominus dicit in evangelio qui cum reliquerit
omnia que possidet centuplum accipiet et
vitam eternam possidebit
Jtem ponitur secundum inter tria substantialia professionis
Stabilitas, que stabilitas est petra super
quam totum religionis edificium construitur et
fundator Jo. supra petram fundavit reli
gionem super stabilitatem istam ut non declinent
in seculum secundum Mathei vij. descendit
pluvia, venerunt flumina et flaverunt
venti et irruerunt in domum illam et non

[illegible] commendatam quod erat scriptum sicut super firmam petram
Beatus Benedictus quarto capitulo regule enume-
rans opera que pertinent ad monachi perfectionem
subdit: Officina vero ubi hec omnia diligenter
operemur, claustra sunt monasterii et stabi-
litas in congregatione. Unde Benedictus in capitulo ad
stetit de morte dei. Omnium bonorum officina
est cella et stabilis perseverantia in ipsa. Et
paulo post subditur: Impossibile est hominem
fixum in uno animo sistere qui non perseverat
in aliquo loco. Perseverantiam affectat vero
sed. Nam qui sollicitudinem animi mutando
de loco ad locum effugere nititur, sic est
sicut qui fugit umbram corporis sui; secum
fugit, secum circumfert; locum mutat non
animum, eundem ubique se invenit, nisi quod
deteriorem facit ipsa mobilitas, sicut ledi
solet egrotum qui circumferendo gravatur.
Ad stabilitatem pertinet perseverantia que sola
est singularis filia summi
regis; illa enim sola est heres regni. Unde
G in ho de perseverantia

Morum commutacio est veteris hominis ex-
poliacio, et novi hominis induicio secundum illud
ephesiorum quarto Deponite vos secundum pristi-
nam conversacionem veterem hominem qui corrumpitur
secundum desideria erroris Renovamini autem spiritu
mentis vestre et induite novum hominem
qui secundum deum creatus est in iusticia et
sanctitate veritatis
Hec morum conversio secundum locum ponitur
in professione per quam monachus obli-
gat se ut non secularis vivat sed mo-
res suos secundum regulam dirigat, Contra
hanc ergo propter professionem venit monachus qui
secularis vivit Plane non sufficit monacho
mutasse locum contemptibilem habitum assump-
sisse deferre tonsuram altam, coronam latam
nisi hec morum conversio comitetur Quare umbra
religionis est hec non veritas Corporis conversio
si sola fuerit erit nulla perfectionis conversio
est ista non veritas Ingrediendi monasterium
causa est ut veraciter moriatur in vivendo alteri
ut possit dicere cum apostolo Gala ij Vivo autem
iam non ego vivit autem in me christus

Qui prius vivebat seculo iam de hoc di-
cit deo Canticorum ii Ego dilecto meo
et ad me conversio eius, libere debet con-
verti ad deum ut deus convertatur ad
ipsum. Ut sic possit dicere deo illud Can-
ticorum ii. Dilectus meus mihi et ego illi
psalmus. Deus cordis mei et pars mea deus
in eternum
Et notandum quod ad perfectam conversionem
requiritur ut fiat conversio interior et ex-
terior, Interior vero quantum ad intellec-
tum et affectum. Quantum ad intellec-
tum ut cogitationes male a corde repellantur
secundum illud Ysaie i. Auferte malum cogitationum
vestrarum ab oculis meis Et sapientie i°. Perverse
cogitationes separant a deo Qui enim cogita-
bat prius quomodo placeret mundo nunc cogitet
quomodo placeat deo, hoc est verum studium quod
deus a monacho requirit Jeremie xviii.
Convertimini unusquisque a via sua pessima et
bona facite studia vestra
Quantum ad affectum oportet conversionem
fieri ut monachus mala que in mundo abundant
contempnat, bonis vero eius non inquinetur

p amorem Jacobi j. Religio munda et imma
culata apud deum patrem hec est visitare
pupillos et viduas eorum, saltem mente eis
compatiendo et se immaculatum custodire ab hoc
seculo. Ita ad custodiam pertinet affectus
cor modo hoc secundum deum diligat et metuat
tristetur et gaudeat illud. Attende soller
ter quid diligas quid ve metuas, unde
gaudeas unde contristeris, certe sub ha
bitu religioso animum secularem sub pannis
conversionis invenies cor perversum. et
subdit Convertatur amor tuus et nichil
aliud diligas nisi deum aut certe propter deum
Convertatur et ad eum timor tuus, quia
perversus est timor omnis quo metuis aliquid
preter eum et non propter eum Sic et gau
dium et tristicia tua similiter convertatur ad eum
sic ut ista fiunt vel non nisi secundum eum
aut doleas aut leteris,

Exterius debet conversio fieri magna
contra ad sententiam Jacobi j° Si quis puta
tat se religiosum esse, et non refrenans
linguam suam, sed seducens cor suum huius

Vana est religio incedunt multi in vesti
mentis ovium, sed dum detrahendo mor
dent loquela ostendit quod intrinsecus sunt
lupi rapaces Mathei vii^o. Loquela
tua manifestum te facit. Conversionem
gestuum ad loquelam multum volunt
fieri. b. Bernardus vi^o capitulo gradus Scur
rilitatem et verba ociosa vel ad risum
moventia eterna clausura in omnibus locis
dampnamus et ad talem eloquium discipulum aperire os
non permittimus. Ephe. iiii. Omnis sermo malus
de ore vestro non procedat, sed si quis bonus est
ad edificacionem fidei qui dat graciam audi
entibus. Item oportet monacho fieri compositionem
exterius quantum ad sensuum exteriorum et
motuum corporis moderationem ut in incessu
et aliis motibus et nihil fiat quod cuiusquam offen
dat aspectum sed quod ipsius deceat honestatem.
Eccl xix amictus corporis et risus dentium
et ingressus hominis denunciant de eo. Eccl
xxviii. Sepi aures tuas spinis et noli
audire linguam nequam, et ori tuo facito
hostia et seras auribus tuis

Item oportet fieri conuersionem quantum ad bonorum operacionem ut sicut exhibuit membra sua seruire immundicie et iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeat ea seruire iusticie in sanctificacionem ad Rom. vi